



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 212. An & qualiter exspiret precaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Ecclesia aliunde comparatarum non nisi ad quinquennium aut aliud tempus determinatum concedi soleant. In quibus iterum differunt à precario, quod regulariter non nisi pro indeterminato tempore, & quidem semper revocabiliter conceditur. Dicitur nonò: *hac lege, ut singulis quinquenniis interpositis iterum precibus renovetur*: intellige, si facta ad tempus quinquennio longius juxta *c. 1. h. t. & c. 5. caus. 10. q. 2.* Idque licet non præscribatur unquam res per precarium concessa. Reiff. *h. t. n. 21.* ad concessionis & domini penes Ecclesiam remanentis memoriam conservandam, & ne res aliàs, hæc memoria deficiente penitus ab ecclesia alienata censeatur juxta *c. loquiquitate. 12. q. 2.* Abb. *inc. 1. h. t. n. 3.* Barb. *h. t. n. 8.* Gonz. *l. c. n. 4.* Pirh. *h. t. num. 13.* Wiestn. *n. 17.* Et nisi quinquennalem hanc renovationem petat is, cui precaria concessa, jure suo cadit, non secus ac Vasallus feudum accipit, si à novo domino non petat investituram juxta *feud. l. 2. c. 1. §. 1.* Abb. *l. c. n. 5.* Barb. *l. c. n. 10.* Pirh. *l. c. contra Gl. in idem c. 1. v. quinquennio.* ubi, quòd precariæ etiam elapso quinquennio renoventur, si dominus patitur eum, cui concessa precaria, permanere in possessione. Verùm contra hoc est, quòd dum ultra patientiam requiritur aliquid, ut in proposito, non sufficit patientia, eaque non operatur. Barb. *ad c. 1. h. t. n. 6.* Pirh. *cit. num. 13.* esseque in hoc differentiam à precario patet; cùm hoc citra necessitatem petendi renovationem sui perseveret. Dicitur denique, quòd precaria ante præfixum ei tempus revocari nequeat, intellige, à successore (cujus contrarium est in precario) nisi tamen concessio precariæ factæ irrationabiliter & indebitè in damnum ecclesiæ; tunc enim à successore revocari potest. Uti etiam tunc revocare potest & debet precariam ipse Prælati, qui eam irrationabiliter concessit, pro ut statuitur. *c. de precariis. h. t.* Barb. *ibid. n. 1.* Idque, ut dicitur ibidem, etiam si pœna adjecta esset tali contractui, seu statuta non servanti illum, seu revocanti precariam; eam ad eam non obligetur. Siquidem, dum contractus est invalidus & rescindendus, quia est in ius contra jus, seu jure illi resistente, qualis est dicta concessio facta in damnum Ecclesiæ, pœna ei adjecta non valet, sed corrumpit, corrumpente principali, nempe contractu, cui est accessoria, & cuius naturam sequitur juxta *Reg. jur. 42. in 6. & Gl. in cit. c. de precariis. v. pœna.* de quo vide Barbof. *in cit. c. n. 4. & 5.*

*Quest. 210. In quo precaria differat ab emphyteusi?*

**R** Esp. Ab emphyteuti, cui aliàs valde similis est, & affinis differt in sequentibus. Primò, quòd emphyteusis non requirit essentialiter preces, seu constituatur ad rogatum emphyteuta. Secundò, quòd emphyteusis non constituatur gratis, sed essentialiter non nisi sub pensione aliqua vel onere. *l. 1. C. de jur. emphyt.* Barb. *l. c. n. 9.* ubi etiam, quòd precaria pensionem non patitur; quia solus usus fructus in remunerationem ad preces conceditur; & quòd *gl. 1. & 2. in c. sape. 12. qu. 2.* & Valasc. falso existiment, in precaria pensionem annatim esse solvendam sicut in emphyteusi. Quòd si tamen etiam quandoque in precaria veniat pensio aliqua quot annis solvenda, ut alii; in hoc tamen adhuc differt ab emphyteusi, quòd id precariæ quàm tali seu in genere spectata sit veluti per accidens; cùm ea etiam gratis constitui possit. V. g. laico vel clerico benemerito, vel pauperi aut peregrino, concedendo ei liberaliter possessionem aliquam seu fundum

utendum fruendum. *c. clerici. 16. q. 3.* quæ tunc est donatio quædam usus fructus, à quo non differt, nisi quòd certo tempore egeat renovatione. Pirh. *cu. n. 13.* Tertio & potissimum differt ab emphyteusi, quòd hæc non exigit renovari singulis quinquenniis, etsi ad longum tempus constituta.

*Quest. 211. An ad concessionem precariarum requirantur solennitates juris?*

**R** Esp. Affirmativè; dum enim per eas jus utendi fruendique in beneficiarium ad longum & quandoque ad totius vitæ tempus, & quidem irrevocabiliter concedatur seu transferatur, sunt species quædam alienationis rerum Ecclesiæ. Laym. *de reb. eccl. non alien. thes. 91.* Pirh. *h. t. num. 15. in fine.* Wiestn. *n. 20.* Reiffent. *n. 15.* Adeoque sicut ceteræ alienationes rerum ecclesiæ, & in specie etiam locatio ultra triennium, sine solennitatibus juris fieri prohibentur, sic etiam precariæ, si concedantur ultra triennium, uti communiter concedi solent. Zoëf. *h. t. n. 1.* Engels. *n. 4.* & AA. citati cum communi. Ita etiam, ut sine iis vel absque legitima causa, adeoque irrationabiliter à Prælati factæ ab eorum successoribus jubeantur revocari. *c. precaria. h. t.* E contra sicut ad locationem, si non fiat ultra triennium, non requiruntur solennitates juris juxta *Extrav. ambitiose.* ita nec ad concessionem precariorum, si non fierent ultra triennium, non requiritur consensus superioris aliæque solennitates, modò interveniat rationabilis causa. Barb. *ad c. 2. h. t. n. 4.* Qui tamen etiam asserit ibi, dum precaria conceditur ad longum tempus, non requiri solennitates, sed à solo Prælati posse fieri, eò quòd per illam non transferatur dominium, ne quidem utile, sed solum commoditas & usus fructus juxta *l. 2. §. ult. C. de SS. Eccles.* citatque pro hac sententia Bartolum, ut ait, communiter receptum in *L. codicillis. §. instituto ff. de legat. n. 4.* Bero. *in c. nulli. de reb. eccl. non alien. n. 32.* Molin. *de primogen. l. 1. c. 21. à n. 24.* Valasc. *de jur. emphyt. q. 18. in princ. & n. 9.* Sed neque requiruntur consensus Capituli vel superioris aliæque solennitates in renovatione quinquennali precariorum, sed sufficit Prælati autoritas; eò quòd hæc renovatio non sit nova concessio, & insuper reddat conditionem ecclesiæ meliorem, dum introducta ad conservandum ejusdem dominium. Imol. *in c. 1. h. t.* Barbof. *l. c. num. 10.* Laym. *l. c.* Pirh. *n. 14.* Wiestn. *n. 19.* qui hoc ipsum confirmat paritate feudi, dum licet Prælati res Ecclesiæ infeudare sine solennitatibus prohibeatur, non tamen prohibeatur feudum antiquum renovare sine solennitatibus in prima infeudatione requisitis; cùm neque jura, neque juramentum de non alienando tali renovationi feudi obstant, sicut obstant primæ infeudationi.

*Quest. 212. Quando & qualiter expirat precaria?*

**R** Esp. Expirat ea per mortem illius, cui concessa, si ei ad vitam illius concessa; secus, si etiam concessa pro hæredibus illius. Item per mortem concedentis, si ad vitam illius concessa, secus, si absolute concessa. Item si pro tempore definito concessa, expirat eo elapso. Intra tamen illud revocari nequit juxta dicta. Ac denique, dum ad longum tempus concessa, expirat statim post primum quinquennium, si eo elapso non fuerit renovata secundum dicta.